

hoc est, auferre sine ullo rei detimento, vel quantum inde lucri caperet dominus, ab ipso postulare.

CCCCXCV. Ceterum confundi non debet cum impenis id, quod possessor bona fidei sponte erogauit pro re adquirenda; si enim hoc reddere ille deberet dominus, re ipsa recuperaret nihil; sufficit igitur possessori saluum sibi esse regressum contra eum, a quo rem accepit; nec quidquam a domino potest postulare; nisi in illa specie, quando rem certo corrumpendam, veluti a pirata, eo animo quis redimit, ut domino eam restituat. Sed nec mercedula inuentionis debetur inuentori iure perfecto, nisi sit promissa. v. L. 15. de Praefcr. Verb.

CAPVT XVII.

De pactis speciatim beneficis.

CCCCXCVI. Introducta rerum proprietate non eadem erant externae hominum facultates, sed quidam certis rebus abundabant, quibus alii indigebant; quoniam autem homines mutuis viribus se perficere, tenerentur, inde orta est obligatio, ut res et operas sibi inuicem communicarent.

CCCCXCVII. Erat tamen imperfectum illud vinculum, nec quisquam ad suum alteri concedendum iuritus cogi poterat, ne fecus inutilis fieret introductio dominiorum; igitur quicunque voluit *ad alienum in suum recipere*, is quoque domini consensu, adeoque pacto opus habuit, et haec pacta, quatenus perfectam pariunt obligationem, *contractus* etiam adpellantur.

CCCCXCVIII. *Essentiale contractus* id dicitur, sine quo contractus non est, ita ut vel actus sit plane nullus, vel transeat in alium contractum. *Naturale est, quod per se inest, et subauditur, sed expressa con-*

uen-

uentione potest abesse; *Accidentale*, quod neque subauditur, sed per actum adiici potest.

CCCCXCIX Si res vel operas vnum alteri pacto promittit gratis, hoc est, absque quod aliquid velit ab eodem recipere, contractus est *gratuitus*, siue *beneficus*; si vero utraque pars a aliquid praestandum adstringitur, contractus est *onerosus*, seu *permutatorius*. Translatio *res nostri* in accipientem *gratuito* et ex *liberalitate facta* est *DONATIO* generatim; omnis ergo contractus *beneficus unilateralis* est, et aliquam continent donationis speciem, contra contractus *onerosus* semper est *bilateralis*, et donationis expers, seu aliqua *PERMUTATIO*. v. L. 19 §. 2. de *Donat.*

D. Quidquid donatur, vel est *res ipsa*, vel *vel usus*, vel *opera*. Iam si *RES ipsa* gratis confertur corporalis vel incorporalis, adeat *Donatio* stricte dicta. Si datur rei *VSUS* gratis, aut res est *fungibilis*, quae constat numero, pondere, mensura, quaeque vice rei alterius fungitur eiusdem generis, ut *vna substitui* pro altera possit, ac tantundem sit idem, et nascitur *Mutuum*.

DI. Aut res traditur non fungibilis, quae *usu* non consumitur, veluti *equus*, *habitatio*, et *iterum* vel *1* ad definitum tempus et fit *Commodatum*, vel *2*, ad libitum concedentis, et fit *Praecarium*.

DII. Denique si *OPERA* tantum alteri gratis confertur, aut haec opera consistit in re aliena custodienda, et nascitur *Depositum*; aut in negotio alterius sibi commissio gratis gerendo, et dicitur *Mandatum*. Ab his autem contractibus pacta de donando, de mutuando, de commodiando, de deponendo et mandato suscipiendo distingui debent.

DIII. Regulae donationis sunt: I. Donans alienat vel rem, vel ius, solus igitur dominus potest donare. II. Pacta semel ipita seruare oportet, igitur exuta donatione res donata tradi debet, nec competit

ius reuocandi. III. Sed liberalitas nondum acceptata non est donatio, ergo tunc reuocatur sine laetione, tam *simplex*, quam *remuneratoria*. IV. Vti in pactis, ita in donatione non plus donatarius adquirit, quam donans se donare velle declarauit, igitur addi conditio potest, veluti si donans ante donatarium moriatur, et haec est *donatio mortis causa*. V. Pactum donationis reciprocae tam donantem, quam donatarium obstringit, quare ad contractus beneficos haec non pertinet.

DIV. Quum *mutuum* sit *contractus beneficus*, quo res fungibilis datur ea lege, vt post certum tempus in eodem genere reddatur, mutuans rem in genere non alienat, sed eius *vsum temporarium* concedit, quem porro ante temporis lapsum repetere non potest.

DV. Quia tamen *vsum rei fungibilis* in abusu consistit, mutuarius ius habet plene disponendi de specie mutuo accepta, sit datae speciei dominus, et illius fert periculum. Quare corpora mutuo data alienari constat, non autem quantitatem; est enim alienum, quod nos aliis debemus. * Ideo mutuarius obligatur *mutuum* creditori restituere in eadem quantitate et qualitate, scilicet vt non minus recipiat, quam dederat, et solo *vsu* carere videatur.

DVI. *Commodatum* dicitur *contractus beneficus*, quo res non fungibilis alteri gratis, et ea lege traditur, vt post certum *vsum* et tempus *eadem* in specie restituatur. Igitur non potest *commodatarius* magis re *vti*, quam pacto *concessum*, secus faceret *furiūm vsum*, et finito *vsu* tenetur rem in specie, hoc est, numero *eandem*, reddere *commodanti*; hinc *cavere omni diligentia*, ne res pereat, aut deterior fiat, impensas ad rei *vsum*, v. c. ad alendum equum, necessarias ferre, et si sua culpa res destruatur, vel diminuantur *praestare satisfactionem*.

DVII. Ast quaestionis est, an *commodatarius* tenetur, a) rem ante tempus restituere, si ea indi-

geat

* L. 213. D. de V. S.

geat commodans, aut $\beta.$) aliam rem praestare, si catu
periit res commodata, quae apud dominum non fuisset
peritura. Sunt, qui tacitam urgent conuentione id
praestandi; ast stricto iure utrumque negari potest, quia
certus rei usus iam ad commodatarium pertinet, nec
amplius ei adimi potest inuitio, et quia naturale est, ut
res pereat suo domino: quae inra permanent, donec
contrahentes contrarium sufficienter declarauerint;
quamvis ratio aequitatis aliud saepe postulet.

DVIII. Si quid promittitur pro usu rei, cessat
commodati substantia, et pactum transit in contractum
onerosum; aliud foret, si daretur Honorarium remu-
nerandi causa, quod antea promissum non est. In pre-
cario res ad libitum reuocari potest; ergo nulla obli-
gatio adest respectu concedentis, sed obligatur accipi-
ens, rem reddere domino, quandocunque is voluerit.

DIX. *Depositum* definitur: contractus, quo res ali-
eui custodienda traditur, ut quandocunque placuerit,
deponenti restituatur. Itaque incumbit depositario di-
ligens rei custodia tempore conuento, abstinentia ab
omni rei uso, restitutio depositi etiam ante tempus pa-
cto definitum et damni culpa dati resarcitio. Ast culpa
non esset, in pari causa res suas praeferre, domino
potius penitus abnegare. L 31. §. 1. D. *Depos.*

DX. Contra deponens omnes impensas ad custo-
diam rei depositae factas refundere debet. Ceterum si
rei depositae usus conceditur depositario, vel ei pro
custodia, quid promittitur, priore casu pactum transit
in mutuum aut commodatum, posteriore casu vero in
contractum permutatorium.

DXI. Quia pactum, quo quis negotium alterius
sibi ab eodem commissum gratis gerendum suscepit, est
Mandatum, facile patent haec enuntiata: I. mandans
causa moralis est actionum mandatarii, iuxta illud:
quod quis per alium facit, per se fecisse videtur. II.
Mandatarius, seu procurator qua talis omnia nomine

mandantis agit, eum *repraesentat*, porro iura et obligationes eidem adquirit. III. Tenetur procurator negotiorum sibi commissum omni diligentia peragere, damnum vero sua culpa illatum reparare.

DXII. Ita est IV. officium perfectum mandantis negotiorum intra fines mandati ratihabere, procuratorem indemnem seruare, si quid de suo erogauit in negotio administrando; non vero si casu fortuito aliquam passus sit iacturam, de qua non fuit cogitatum; ad hanc enim reparandam non tenetur mandans, nisi pro re nata ex obligatione imperfecta. *v. L. 26. §. 6. D. mand.*

DXIII. V. Qui negotiorum sibi non commisum vltro et gratis suscipit, mandatarius non est, sed *negotiorum gestor*, *procurator voluntarius*; obligatur tamen quasi ex mandato, cique imputantur omnia, quae ex administratione rerum alienarum consequuntur. Igitur eius est rem gerere summa diligentia, rationes reddere, et damnum dolo, vel culpa datum emendare.

CAPVT XVIII.

De contractibus permittatoriis generatim et de rerum pretio.

DXIV. Quis res vel operas in alterum gratis conferre non vult, id semper intendit, vt ab altero quoque res vel operas recipiat, sive ut is etiam aliquid det, vel faciat. Nullus ergo est contractus onerosus, qui non ad quatuor illos artculos revocari possit: *L. Do, vt des. II. Do, vt facias. III. Facio, vt des. IV. Facio, vt facias.* In his igitur commercium, seu *mutua rerum communicatio*, quae per contractus explicatur, situm est.

DXV. Quoniam in contractibus onerosis simpli-
citer talibus omnis donatio exulat, neuter contrahentium vult aliquid gratis concedere, sed vterque illud sibi